

scit alteri, quomodo sibi putat subveniri? Superabundant ergo peccata, superabundet et misericordia. Quoniam apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio<sup>82</sup>. Penes Dominum omnium abundantia est, quia Dominus virtutum ipse est et rex gloriæ<sup>83</sup>. Ait enim Apostolus: Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei; justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore; ut sit ipse justus et justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi<sup>84</sup>. David enim dicit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata<sup>85</sup>. Mundatur ergo homo a peccato, et resurgit gratia Dei lapsus<sup>86</sup>, et in pristino manet officio, juxta prædictas auctoritates. Videat ne amplius peccet, ut sententia Evangelii maneat in eo: Vade, et amplius noli peccare<sup>87</sup>. Unde ait Apostolus: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur; non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quid ergo? Peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad

mortem, sive obeditionis ad justitiam? Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. Humanum dico<sup>88</sup>. Majus enim peccatum est judicantis<sup>89</sup>, quam ejus qui judicatur. Existimas, inquit Apostolus, o homo omnis qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contempsisti? Ignoravisti quoniam benignitas Dei ad penitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus: his quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem, quærentibus<sup>90</sup> vitam æternam; his autem, qui ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum<sup>91</sup>. Sententiam, fratres, quæ misericordiam vetat<sup>92</sup>, non solum tenere, sed et audire refugite, quia potior est misericordia omnibus holocaustis et sacrificiis<sup>93</sup>. Consultis vestris breviter respondimus, quia oppressos nimis, et præoccupatos aliis iudiciis, litteræ nos invenere vestræ. Data VIII Idus Octobris, Antonino et Alexandro viris clarissimis consulibus<sup>94</sup>.

<sup>82</sup> Psal. cxxix, 7. <sup>83</sup> Psal. xxiii, 10. <sup>84</sup> Rom. iii, 25-26. <sup>85</sup> Psal. xxxi, 1. <sup>86</sup> a lapsu <sup>87</sup> Joan. viii, 11. <sup>88</sup> Rom. vi, 12-19. <sup>89</sup> Sixti sent. 174. <sup>90</sup> Roman. Correct. præferunt verbum *quærentibus* participio *quærentibus*. <sup>91</sup> Rom. ii, 3, 10. <sup>92</sup> Sixti sent. 328, ex versione Rufini qui obiit an. 411. <sup>93</sup> Marc. xii. <sup>94</sup> an. 222.

ANNO DOMINI CCXXXI.

## S. URBANUS I

PONTIFEX ROMANUS

### NOTITIA EX LIBRO PONTIFICALI DAMASI PAPÆ

(Mansi, Concil., I, 747, Varias lectiones ad hunc locum Libri pontificalis vide *Patrologiæ Latinæ* tom. CXXVII, col. 1538, in Anastasio Bibliothecario.)

Urbanus (1) natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annos quatuor, menses 10, diēs 12 (2). Hic

(1) *Urbanus*. Cum post martyrium Callisti, sedes sex diebus vacasset, 21 Octobris, anno Christi nati 226, qui est Alexandri imperatoris tertius, Urbanus patria Romanus ei substituitur. Baron. prædicto anno, num. ult. Sub hujus pontificatu Origenem Alexandrinæ Ecclesiæ subditum, spontaneum eunuchum ab Alexandro Hierosolymorum episcopo contra apostolorum canones ordinatum esse Demetrius Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus jure meritoque conqueritur, ipsumque Origenem in laicorum ordi-

nem redigendum, et ab exercitio presbyterii suspendendum esse, recte decrevit et admonet; postea tandem excommunicat, quod scripta quædam deinceps ab eo vel evulgata, vel, ut ipse Origenes excusabat, suo nomine edita, multis hæresibus scaterent. Vide Baron. prædicto anno et sequentibus. SEV. BIN.

(2) *Sedit annos 4, menses 10, diēs 12*. Ex Vaticanis indicibus constat eum sedisse annis sex, mens. 7, dieb. 4. Euseb. in *Chron.* graviter errat, dum

fecit ministeria sacra omnia argentea (5), et patenas argenteas 25 apposuit. Hic sua traditione multos convertit ad baptismum et credulitatem; Tiburtium etiam et Valerianum nobilissimum virum, sponsum sanctæ Cæcilie, quos etiam usque ad martyrii palmam perduxit. Et per ejus monita et doctrinam, multi martyrio coronati sunt (4). Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros novem, diaconos quinque, episcopos per diversa loca octo. Qui et sepultus est in cœmeterio Prætextati, via Appia, viii Kalendas Junias, et cessavit episcopatus dies 50.

## NOTITIA ALTERA.

(D. COUSTANT, *Epistolæ Rom. pont. I, 114.*)

Hunc papam, Alexandro imperatore, Callisto successisse Eusebius in *Chronico* tradit. Eum Ecclesiæ Romanæ pontificatu octennio perfunctum esse idem scriptor *Hist. lib. vi, c. 23*, docet. Et eum quidem a consulatu Maximi et Æliani usque Agricola et Clementino, hoc est ab anno Christi 225 ad 250 Ecclesiam rexisse ex Bucheriano catalogo discimus. Maii 25 die, quo et memoriam ejus celebrat Ecclesia, obiisse creditur. Hæc autem omnia inter se, necnon cum iis, quæ de Callisto præmisimus, componi commode possunt, si octennium Eusebianum octo diversos consulatus intelligamus. Nam ab anni 225 mense Octobri, circa cujus exitum Callistus pontifex creatus putatur, ad 25 diem mensis Maii anni 230, quo Urbani mors consignatur, octo re-

illi annos novem ascribit. Baron. anno 253, num. 1. SEV. BIN.

(3) *Hic fecit ministeria sacra omnia argentea.* His temporibus Ecclesiam non modo vitreis, sed etiam argenteis calicibus, quibus abundabat, usam fuisse, præterquam quod hic aliud asseratur, ex Gregorii Turonensis commentariolo, quem *De gloria martyrum* scripsit, cognoscere licet, ubi dicit: multa sacra ministerialia vasa ex argento confecta, inventa esse, dum crypta illa, in qua fideles sacra agentes occlusi fuerant, refoderetur. Imo non argenteis tantum, sed et aureis calicibus Romanos pontifices circa hæc tempora incruentum corporis ac sanguinis Domini sacrificium offerre consuevisse, Prudentius in hymno de rebus gestis S. Laurentii indicat, versibus, quibus persecutores S. Laurentium interpellarunt, hisce:

*Hunc esse vestris orgiis  
Moremque, et artem, proditum est;  
Hanc disciplinam fœderis  
Libent ut auro antistites,  
Argenteis scyphis ferunt,  
Fumare sacrum sanguinem:  
Auroque nocturnis sacris  
Astare fixos cereos.*

Cum igitur hac ex parte Christianæ Ecclesiæ gloria cresceret, regale sacerdotium Christi his fulgoribus et ornamentis illustraretur, non sine Dei

consentur consulatus. At in Bucheriano Catalogo non solum annos 8, sed et præterea menses 11, dies 12, in ms. autem reginæ Suec. annos 8, menses 10, dies 12, in Corbeiensi annos 9, menses 1, dies 11 sedisse adnotatur. Sed quia in numericas notas error facile irrepit, adeo ut pro octo Urbani pontificis annis in uno Colbertino IV et in Fossatensi III tantum legantur, hærendum potius videtur consulari notæ, qua Urbani pontificatus a Maximi et Æliani consulatu ad consulatum Agricola et Clementini in Bucheriano catalogo definitur.

Urbani nullum ad nos pervenit genuinum scriptum. Ea quippe epistola, quæ nomine illius circumfertur, Isidorum Mercatorem opificem habet: adeoque ab ejus collectione non est distrabenda.

nutu ac consilio accidit ut Alexander imperator templis deorum gentilium, aurum et argentum conferri ægre tulerit, illudque Persii, ut refert Lampridius, frequenter susurrarit:

*In templo quid facit aurum?*

Et demum singularis divinæ providentiæ opus esse videtur, quod aurum et argentum, templis ethnicorum jam ante collatum, per Maximinum Alexandri successorem istuc auferri, statuas deorum, omnemque materiam nummis condendis idoneam conflare permiserit: adeoque voluerit fieri, quod I. Reg. cap. v scribitur, area scilicet Dei appropinquante, Dagon Philisthæorum deum confringi; illam extolli, hunc dejici; illam gloria et honore affici, hunc vero dejectum universo ornatu et decore exui et spoliari; Christianæ religionis gloriam crescere, gentilitiæ superstitionis honorem minui et penitus obscurari. Baron. anno Christi 255, n. 2 et 3. Vide quæ diximus supra in notis ad Vitam Zephyrini. Ib.

(4) *Per ejus monita et doctrinam multi martyrio coronati sunt.* Qui Tiburtium, Valerianum et Maximum cum sancta Cæcilia in fide instruxerat, baptizaverat, et adversus ictum gladii hortatu suo obfirmaverat, tandem ipse quoque multa propter Ecclesiam passus, cervicibus abscissis, martyrio coronatus est, anno Christi 255, Alexandri imperatoris 10, vigesimo quinto die Maii. Baron. prædicto loco. Ib.

# S. URBANI I PAPÆ

## (5) EPISTOLA AD OMNES CHRISTIANOS

(MANSI, *Concil. Collect.*, t. I, p. 748.)

De eo quod Ecclesia modo possessiones fidelium recipit, et non pretium earundem rerum sicut temporibus apostolorum; et cur sedes excelsæ in ecclesiis episcoporum præparentur; et ut eis, quos episcopi excommunicant, nullus communicet; et quos ipsi quoquo modo ejecerint, nullus recipiat.

- I. De vita communi, et quam ob causam Ecclesia possessiones habere cœperit.
- II. A quibus vel in quos usus res ecclesiasticæ dispensentur, et de invasoribus earum.
- III. Si quis ab Ecclesia jus possidendi avellere tentaverit.
- IV. De cathedris episcopalibus.
- V. Ut nullus communicet iis, quibus episcopus non communicat, vel recipiat quos ille abjecerit.
- VI. De sponsione in baptismo facta, et de iis qui communem vitam susceperunt.
- VII. De impositione manus episcopalis.

URBANUS episcopus omnibus Christianis, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam et aspersionem sanguinis Domini nostri Jesu Christi, salutem.

Decet omnes Christianos, charissimi, ut eum imitentur, cujus nomen sortiti sunt. Quid prodest, fratres mei, Jacobus apostolus ait, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Qui sapiens et disciplinatus est inter vos, ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ <sup>1</sup>.

### I.

Scimus <sup>2</sup> vos non ignorare (6), quia hactenus vita communis inter bonos <sup>3</sup> Christianos viguit, et adhuc gratia Dei viget, et maxime inter eos qui in sortem Domini sunt electi <sup>4</sup>, id est, clericos, sicut in Actibus legitur apostolorum: *Multitudinis autem cre-*

<sup>1</sup> Jacob. II, 14. <sup>2</sup> Quæst. : Scimus vos non ign. 37. <sup>3</sup> Quæst. 1 : Videntes, autem sacerdotes.

(5) Ficta et supposita apud viros doctos habetur.

(6) *Scimus vos non ignorare.* Docet hoc loco S. Urbanus pontifex, initio Ecclesiæ, juxta testimonium Lucæ Act., cap. IV, consuevisse pios homines possessiones rerum suarum distrahere, earumque pretium Ecclesiis donare: sed quia eo modo præsentibus duntaxat, non autem futuris Ecclesiæ ministris providebatur, decernit magis e re et commodo Ecclesiæ futurum, si ipsæ rerum possessiones Ecclesiæ donentur. Et merito: si enim Levitis veteris testamenti divino jure concessum est, ut urbes ad habitandum, suburbana ad alendum pecora possideant, agros et vineas ex oblationibus populi licite emant, licite etiam distrahant ac vendant, quod Levit. cap. XXV, et III Reg. cap. II, Jer. cap. XXXII, Act. cap. IV, satis aperte indicatur; quo jure, quave ratione hoc sacerdotibus ac clericis novi testamenti interdictum erit? Patriarchæ Jacob filium Levi exheredantis sententiam ac voluntatem Deus quidem approbavit, ejusque posteris, nullam partem terræ, in 12 duntaxat partes, pro numero 12 tribuum divisæ assignari permisit; sed tamen decimam partem omnium fructuum, sibi tanquam proprio Judæorum regi, loco tributi debi-

dentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi. Et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis, quod est interpretatum, filius consolationis, Levites et Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, et attulit pretium ante pedes apostolorum <sup>5</sup>, et reliqua. Videntes ergo sacerdotes summi et alii <sup>6</sup>, atque Levitæ, et reliqui fideles, plus utilitatis posse afferre, si hæreditates et agros quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant episcopi, traderent, eo quod ex sumptibus eorum,

<sup>5</sup> Omnes. <sup>6</sup> Isid. II De off., c. 1. <sup>7</sup> Actor. IV, 32-

tam una cum 48 civitatibus, et suburbanis earum prædiis, illis, tanquam suis hæredibus, donavit. Ridicula sane foret, vehemens illa multorum pontificum et conciliorum decretis, rerum ecclesiasticarum interdicta alienatio, si Ecclesia nullam rem licite hactenus possederit. Quare quod inquit Christus Luc. XIV, non posse esse discipulum suum, nisi qui renuntiaverit omnibus quæ possidet, ita intelligendum est, sicut id quod sequitur: *Si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem et uxorem, adhuc autem et animam suam, non potest esse meus discipulus.* Certum est, non ad odium, sed potius ad amorem parentum, filiorum, uxoris, et vitæ propriæ quemlibet hominem divina lege obligari, si horum amor Dei charitati, quem super omnia diligere debemus, nihil obstat aut præjudicet; sic si rerum possessio animum a Dei cultu avocet, mala est, eoque casu plane deserenda; si vero ministris alimenta præbendo, eundem Dei cultum promoveat, utilissime sane Ecclesia temporalium bonorum dominium ac possessionem sibi retinet et usurpat. Vide quæ diximus supra in notis ad epist. 2 PII I. Bellarminus lib. I De clericis, cap. 26. Sæv. Bin.

lam presentibus quam futuris temporibus, plurima et elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, quam ex pretio eorum; ceperunt prœdia et agrôs, quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere<sup>7</sup>, et ex sumptibus eorum vivere.

## II.

Ipsæ vero res in ditione singularum parochiarum, episcoporum, qui locum tenent apostolorum, erant, et sunt usque adhuc, et futuris semper debent esse temporibus. E quibus episcopi et fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis usibus, quam ecclesiasticis, et prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium converti: quia vota sunt fidelium<sup>8</sup>, et pretia peccatorum (7), ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum, Domino traditæ. Si quis autem (quod absit) secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ et Saphiræ percipiat, et reus sacrilegii efficiatur, sicut illi effecti sunt, qui pretia prædictarum rerum fraudaverunt, de quibus legitur in prædictis apostolorum Actibus: *Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira uxore sua, vendidit agrum et fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua: et afferens partem quamdam, ad pedes apostolorum posuit. Dixit autem Petrus Ananiæ: Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, et venundatum erat in tua potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es hominibus mentitus, sed Domino. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, et exspiravit. Et factus est timor magnus in omnes qui audierunt. Surgentes autem juvenes, amoverunt eum; et efferentes, sepelierunt. Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. Respondens autem ei Petrus, dixit: Dic mihi, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit: Etiam tanti. Petrus*

*A autem ad eam: Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, et efferent te. Confestim cecidit ad pedes ejus, et exspiravit. Intranses autem juvenes, invenerunt illam mortuam, et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in universam Ecclesiam, et in omnes qui audierunt hæc<sup>9</sup>. Hæc, fratres, valde cavenda sunt et timenda: quia res Ecclesiæ, non quasi propriæ<sup>10</sup>, sed ut communes et Domino oblatae<sup>11</sup>, cum summo timore non in alios quam in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ, ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, ubi traditæ sunt, ne pœnam et mortem Ananiæ et Saphiræ incurrant, et (quod pejus est) anathema maranatha fiant<sup>12</sup>, et si non corpore, ut Ananias et Saphira, mortui ceciderint, anima tamen, quæ potior est corpore, mortua et alienata a consortio fidelium cadat, et in profundum barathri labatur. Unde attendendum est omnibus<sup>13</sup>, et fideliter custodiendum, et illius usurpationis contumelia depellenda, ne prædia usibus secretorum<sup>14</sup> cœlestium dedicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit<sup>15</sup>, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, perpetua damnetur infamia, et carceri tradatur, aut exsilio perpetuæ deportationis utatur<sup>16</sup>. Quoniam, juxta Apostolum<sup>17</sup>, tradere oportet hujusmodi hominem Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini.*

## III.

*C Memoratis ergo augmentationibus ac cultibus, in tantum Ecclesiæ<sup>18</sup>, quibus episcopi præsent, Domino adminiculante, creverunt, et tantis maxima pars earum abundant rebus, ut nullus sit in eis, communem eligens<sup>19</sup> vitam, indigens; sed omnia necessaria ab episcopo suisque ministris percipit. Ideo si aliquis exstiterit modernis aut futuris temporibus, qui hæc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur.*

## IV.

Quod autem sedes in episcoporum ecclesiis ex-

<sup>7</sup> Concil. Milev. 25. <sup>8</sup> Julianus Pomerius lib. 11 De vita contempl., c. 9 et 16. Vide Hincm. cpp. 3 et 8, edit. Moguntinæ Busæi. <sup>9</sup> Actor. v, 1-11. <sup>10</sup> 12. Quæst. 1: Res ecclesiæ non quasi. <sup>11</sup> Idem Pomerius qui supra, in opere quod falso a plerisque tributum fuit Prospero Aquitano. <sup>12</sup> I Cor. xvi, 22. <sup>13</sup> 17. Quæst. 4: Attendendum est, ne prædia. <sup>14</sup> sacrorum. <sup>15</sup> Cod Theod. lib. xvi, tit. 2, const. 40, quam expende. <sup>16</sup> uratur. <sup>17</sup> I Cor. v, 5. <sup>18</sup> Quæst. 1: Videntes autem sacerdot. <sup>19</sup> Degens vel gerens.

(7) Pretia peccatorum. Receptissima est expositio, ut hostiæ et eleemosynæ pro peccatis oblatae, peccata appellantur. Osee cap. iv de sacerdotibus dicitur: *Peccata populi mei comedent. Quem locum Cyrillus, Theophylactus, Theodoretus et alii recentiores recte de hostiis interpretantur. Nam Scriptura ita frequenter loqui solet, ut in primis evidentissime patet ex hisce verbis Pauli apost. II Cor., cap. v: Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Quia igitur bona temporalia Deo in ministris Ecclesiæ oblata, peccata redimunt, et peccantem ad donum pœnitentiæ obtinendum disponunt, recte pretia peccatorum appellantur. De hoc peccatorum pretio intelligendum est illud apostoli Pauli: Im-*

*D pertiunt nobis corporalia, quibus nos spiritualia impertimus. Hoc idem beatus martyr ac pontifex Alexander I, epist. 1, in principio, hisce verbis: Ipsi enim, inquit, pro populo interpellant, et populi peccata comedunt, quia precibus suis et oblationibus ea delent utque consumunt. Comedi enim dicuntur in Scriptura, psal. LVIII, quæ consumuntur. Discamus ergo quod qui eleemosynis et oblationibus fidelium fruimur, eas precibus nostris, sicut obligamur, diligentissime compensemus; futurum alioquin, ut de rebus injuste acceptis, coram tremendo judice sæculi, graviter pericitemur. Vide Riberam in Oseam c. iv, n. 4. SEV. BIN.*

celsæ constitutæ et præparatæ inveniuntur ut thronus, speculationem et potestatem judicandi, et solvendi atque ligandi, a Domino sibi datam materiam docent. Unde ipse Salvator in Evangelio ait : *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo* <sup>20</sup>. Et alibi : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* <sup>21</sup>.

## V.

Ideo ista prætulimus, charissimi <sup>22</sup>, ut intelligatis potestatem episcoporum vestrorum, in eisque Deum venerimini, et eos ut animas vestras diligatis; et quibus illi non communicant, non communicetis; et quos ejecerint, non recipiatis. Valde enim timenda (8) **B** est sententia episcopi <sup>23</sup>, licet injuste liget aliquem, quod tamen summopere prævidere debet.

## VI.

Vos autem hortantes, monemus omnes, qui Christianitatem suscepistis, et a Christo vocabulum Christiani sumpsistis <sup>24</sup>, ne in aliquo Christianitatem vestram irritam faciatis, sed sponsonem, quam Domino in baptismo fecistis, firmiter teneatis, ne reprobi, sed condigni coram eo inveniamini. Et quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, et vovit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat <sup>25</sup> : sed hoc, quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat; quoniam **C** satius est non vovere, quam votam, prout melius potest, non perficere. Gravius enim puniuntur qui

<sup>20</sup> Matth. xviii, 18. <sup>21</sup> Joan. xx, 22, 23. <sup>22</sup> 11. Quæst. 3 : Quibus episcopi non communicant. <sup>23</sup> S. Greg. hom. 26, in Evangelia. <sup>24</sup> Isid. vii Orig., 14. <sup>25</sup> 12. Quæst. 1 : Scimus vos non ign. votum paupertatis. <sup>26</sup> Conc. Parisiensis an. 829 cap. 10 libri ii alludere videtur. <sup>27</sup> Eucher. aut quis alius hom. in die Pentecostes, quam vide. <sup>28</sup> Coloss. iii, 2. <sup>29</sup> I Cor. iii, 19. <sup>30</sup> I Tim. vi, 10. <sup>31</sup> Factori leg. est. <sup>32</sup> I Tim. v, 6. <sup>33</sup> Psalm. xci, 8. <sup>34</sup> De consecr. dist. v : Omnes fideles Confirmationis sacramentum.

(8) *Valde enim timenda*. Duplex est excommunicatio : una justa, in qua nulla debita circumstantia desideratur; altera injusta est, cui una vel plures requisitæ circumstantiæ desunt. Hæc posterior, si invalida sit, puta si excommunicans potestatem et auctoritatem non habeat, vel si propter bonum opus eam ferat, vel denique si solemnia debita (de quibus cap. *Statuimus*, et cap. *Constitut.* 2, de sent. excommunicat. lib. vi) non observaverit, conscientiam fidelium non obligat, adeoque talis nunquam timenda foret, nisi forte ratione alicujus scandali, ab hominum consortio, et sacramentorum perceptione abstinendum foret, donec populo nullitas latæ excommunicationis innotuerit. Quæ vero aliunde excommunicato injusta videtur, ex eo nimirum quod judicem non recta intentione judicasse putet, vel se innocentem esse existimet, merito singulis fidelibus extimescenda est : cum omnium judicio certum sit, talibus fructum orationis et suffragiorum communium a reliquis fidelibus licite applicari non posse, neque debere; ino si excommunicato de sua innocentia non evidenter constet, tenetur etiam sub gravi peccato sententiæ latæ parere, et usque ad absolutionem ab hominum consortio et sacramentorum perceptione abstinere. De tali igitur excommunicationis sententiâ, quæ scilicet probabili judicio judicis, tametsi non re ipsa, causam justam habeat, intelligi debet quod

**A** votum fecerunt <sup>26</sup>, aut fidem perceperunt, et votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt, quam illi qui vitam sine voto finierunt, aut sine fide mortui sunt, et tamen bona egerunt opera. Ad hoc enim sensum rationabilem naturæ munere <sup>27</sup>, et secundæ nativitatæ reparationem suscepimus, ut, secundum Apostolum, *magis quæ sursum sunt, sapiamus, non quæ super terram* <sup>28</sup> : quia *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum* <sup>29</sup>. Quid autem suadet, charissimi, sapientia hujus sæculi, nisi nocitura quærere, et amare peritura, negligere salutaria, pro nihilo reputare perpetua? Cupiditatem commendat, de qua dicitur : *Radix omnium malorum est cupiditas* <sup>30</sup>. Quæ imprimis hoc malum habet, quod dum ingerit transitoria, abscondit æterna. Et dum a foris posita conspicit, intra se latentia non introspicit, et dum aliena quærit, sectatori <sup>31</sup> suo semetipsum alienum facit. Ecce quid suadet sæculi sapientia? vivere in deliciis. Unde dicitur : *Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est* <sup>32</sup>. Suadet ergo mollissimis suavitatibus, peccatis, vitis et flammis nutrire carnem, cibi et vini intemperantia animam premere, ac vitam spiritus intercludere, et contra se hosti suo de se gladium ministrare. Ecce quid suadet sæculi sapientia? ut qui boni sunt, mali esse malint, et per errorem mentis, fieri etiam studeant peccatores, et non cogitent illam terribilem Dei vocem, cum *exurentur peccatores sicut fenum* <sup>33</sup>.

## VII.

**C** Omnes enim fideles <sup>34</sup> per manus impositionem (9) episcoporum Spiritum sanctum post baptismum ac-

hac epistola dicitur; sicut et illud, quod hom. 26 in Evangelia scribit Gregorius : *Sententiam pastoris sive justa, sive injusta sit, timendam esse*. Valent. tom. IV, disp. 7, quæst. 17, punct. 2. Vide quæ diximus supra in notis ad can. apost. Sev. Bin.

(9) *Omnes fideles per manus impositionem*. Ab Urbano sacramentum confirmationis institutum esse, si qui ex hoc loco probari posse existimant, graviter errant. Apostoli enim, qui Act. viii et xix super baptizatos manus imposuerunt, ut Spiritum sanctum acciperent, hoc sacramentum confirmationis administrarunt. Accedit quod Tertullianus Urbano antiquior confirmationis pluribus in locis meminert. In lib. *De resurrectione carnis* : *Caro, inquit, abicitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecratur*. Et lib. *De bapt.* : *Deinde manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum*. Et in lib. *De præscript.* loquens de diabolo, qui imitatur baptismum et confirmationem nostram : *Tingit, inquit, et ipse quosdam utique credentes et fideles suos; signat illic in frontibus milites suos*. De hoc sacramento S. Dionysius Areopagita apostolorum temporibus æqualis cap. 2, parte ii *Eccles. hierarchiæ*, sic ait : *Baptizatum indutum alba veste ad pontificem ducunt, ille divino ac deifico prorsus unguento virum signat*. Et infra cap. 4, part. iii : *Sed et ipsis qui sacratissimo regenerationis mysterio consecrantur, adventum*

cipere debent, ut plene Christiani inveniantur: quia cum Spiritus sanctus infunditur<sup>35</sup>, cor fidele ad prudentiam et constantiam dilatatur. De Spiritu sancto accipimus, ut efficiamur spirituales: *quia animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei*<sup>36</sup>. De Spiritu sancto accipimus<sup>37</sup>, ut sapiamus inter bonum malumque discernere, justa diligere, injusta respicere, ut malitiæ ac superbiæ repugne-

<sup>35</sup> Idem Eucherius loco citato. <sup>36</sup> I Cor. II, 14. papæ. <sup>37</sup> Hactenus Eucherius quem consule. <sup>38</sup> An. 222, vivente adhuc Callisto, cui Urbanus successit anno 224.

*Spiritus sancti consummans unguenti inunctio elargitur.* Similia hac de re duo Clementes, alter Romanus in suis *Apost. constit.* libris, alter Alexandrinus, Justinus martyr aliique plures de hoc sacratissimo sacramento scripserunt, longe ante Urbani pontificis tempora. Quomodo igitur sigillum Domini et

mus, ut luxuriæ ac diversis illecebris, et sædis indignisque cupiditatibus resistamus. De Spiritu sancto accipimus, ut amore vitæ et gloriæ ardore succensi, erigere a terrenis mentem ad superna et divina valeamus<sup>38</sup>. Data Nonis Septembris, id est, quinto die ejusdem mensis, Antonino<sup>39</sup> et Alexandro viris clarissimis consulibus.

<sup>37</sup> Ista etiam infra habentur in decreto Melchiadis An. 222, vivente adhuc Callisto, cui Urbanus suc-

sacratum hoc unguentum ab Urbano institutum esse potuit, quod prædictorum testimonio a Christo institutum est, et ab apostolis usurpatum, et universæ Ecclesiæ traditum est? Vide Bellarm. lib. II *De confirm.*, c. 5 et 6, et IV *De Roman. pontif.*, c. 8. Sev. Bix.

ANNO DOMINI CCXXXII.

# ASTERIUS URBANUS

## NOTITIA

(GALLAND., *Veterum Patrum Biblioth.*, Proleg., III, XI.)

- I. Auctor trium librorum adversus Cataphrygas, Asterius Urbanus asseritur.
- II. Episcopus fuisse demonstratur. Episcopi antiquitus vocati quandoque presbyteri. Zoticus Otrenus, alius a Comanense videtur.
- III. Quo tempore scripserit auctor, inquiritur. Iniqua viri docti censura retunditur.

I. Veterum sententiam de trium librorum auctore adversus Cataphrygas, quos Avircio Marcello nuncupatos memorat Eusebius (1), haud unam esse comperimus. Hieronymus enim opus illud modo Rhodonem, mox Apollonium litteris consignasse tradit (2). Rufinus (3) et Nicephorus (4) Claudium Apollinarem, Eusebii nimirum mentem minus recte assecuti. Sed ejusmodi opiniones non esse admitendas, alibi uberius exposuimus (5). Nunc vero post viros doctissimos, Valesium (6), Tillemontium (7), Longueueum (8) et Dodwellum (9), qui tamen postea sententiam mutavit (10), Asterium Urbanum eorum librorum scriptorem existimamus.

Objici quidem potest, ab hujusce operis scriptore mentionem fieri Asterii Urbani: ut proinde non auctor fuerit ipsemet noster Asterius. Sic enim ille (11): Καὶ μὴ λεγέτω ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ, τῷ κατὰ

Β Ἀστέριον Οὐρβανόν, τὸ διὰ Μαξιμίλλης πνεῦμα. Sed quis non videat verba intermedia seriem orationis turbare, rescribendumque: Καὶ μὴ λεγέτω τὸ διὰ Μαξιμίλλης πνεῦμα, nec mihi jam dicat ille *Maximillæ spiritus*? Hinc merito censuit Valesius, verba illa quæ interseruntur, ἐν τῷ αὐτῷ λόγῳ, τῷ κατὰ Ἀστέριον Οὐρβανόν, scholion esse quod vetus quidam scholiastes, vel si mavis, Eusebius ipse, ad marginem libri sui apposuerat, ad verba quæ paulo ante occurrunt, αὐθις δὲ ἐν τῷ αὐτῷ φησι λόγῳ. Quod quidem scholion, ut fieri assolet, fuerit deinceps a librariis in textum illatum: importunum illud quidem, sed eo saltem nomine commodum, quod hinc demum cum ipso viro docto colligamus, Asterium Urbanum trium librorum adversus Cataphrygas habendum esse auctorem, non autem Claudium Apollinarem, ut post Rufinum complures re-

(1) Euseb., *Hist. eccl.* lib. v, cap. 16.  
 (2) Hieron., *De vir. illustr.*, capp. 37 et 40.  
 (3) Rufin., interpr. Euseb. l. b. v, cap. 15.  
 (4) Niceph. Call., *Hist. eccl.*, lib. iv, cap. 25.  
 (5) Prolegom. ad Bibl. PP. vol. I, cap. 25, § 2, et vol. II, cap. 12, § 2.  
 (6) Vales., ad Euseb. lib. v, cap. 16.

(7) Tillem., *Mém.*, tom. II, pagg. 430, 441, et 670, not. 7, sur les Montan.  
 (8) Longuer., *Dissert. de Montan.*, § 14, pag. 265.  
 (9) Dodw., *Dissert. 4 Cypr.*, § 11, pag. 44.  
 (10) Id., *Dissert. 4 Iren.*, § 38, pag. 309.  
 (11) Aster. Urb., *Fragm. 4 infr.*, col. 154.